

Boncompagnus de Signa

*Credis forte quod labor
improbis omnia vincat*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Boncompagnus de Signa

*Credis forte quod labor
improbis omnia vincat*

1194-1195

Credis forte quod labor improbus omnia vincat et pulsanti omni tempore aperiatur; sed incerte sunt vie hominum et vane cogitationes eorundem, cum res cuiusque in talibus magis casu et fortuna regatur quam premeditata dispositione.

Nolens tamen preces tuas ex toto contempnere ne in desperationis laqueum traharis, consulo ut in die festo, cum domini et matrone templum dominicum visitant, proicias infra meum pomerium falconem et subito postea currens a familiaribus domus tuam repetas avem. Ego vero illam tibi faciam denegari, diceturque tibi ab ancillis: "Recede, non enim tuum est quod queris". Ad istam siquidem contemtionem te vocari faciam, sicque michi tui cordis archana poteris aperire.